388
E 46

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
388 E 46



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
388 E 46

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
388 E 46



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
388 E 46



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
388 E 46



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
388 E 46

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
388 E 46

4W 388 E46

PETRI FRANCII

ORATIO DE ANNO JUBILAEO

Habita

In Choro Templi Novi ipſis Kal. Jan.

CIↃ IↃ CC.



AMSTELAEDAMI,

Apud JOH. RIEWERTSZ, Urbis & Athenaei Typographum. cIↄ Iↄ cc.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
388 E 46

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
388 E 46

Nobiliſſimis & Ampliſſimis

Urbis Amſtelaedami

CONSULIBUS,

JOHANNI HUDDE, JOHANNI CORVER, FRANCISCO DE VICQ, DIDERICO MUNTER.

NOlite in malam partem interpretari, Viri Ampliſſimi, quod hanc meam Vobis de Anno Jubilaeo Orationem oblatum eam. Vobis, nec alii ulli, quàm vobis, & illuſtriſſimo nomini Veſtro inſcribi eam credidi oportere. A Veſtro cive, à Veſtri Athenaei Profeſſore conſcripta, Veſtro conſenſu ac juſſu habita, Vobis praeſentibus pronuntiata, Veſtris Typis excuſa, ſub qui-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
388 E 46

bus, niſi ſub Veſtris, auſpiciis in lucem mitti publicam debuit? Vovi in illa Vobis optima omnia; nunc eadem iſta non repeto tantum, ſed &, praeter Annum hunc fauſtum ac fortunatum, praeter fortunatum hoc ſaeculum, & felicem ejus introitum, felix item ac fauſtum hujus Vobis Anni Regimen gratulor apprecorque. Faxit Deus Opt. Max. ut diu huic urbi praeeſſe, & habenas, quas nunc capeſſitis, in plures annos ſuſcipere, atque ad hoc honoris faſtigium, ut adſcendiſtis jam ſaepius, ita & adſcendere porro plus ſemel, in commune Reipublicae commodum, valeatis. Vovet id omni ex animo

Amplitudini Veſtrae

devotiſſimus

PETRUS FRANCIUS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
388 E 46

LECTORI S.

SIſto tibi, Lector, nuperam meam de Anno Jubilaeo Orationem, qua fauſtum omnibus Annum, fauſtum item ſaeculum, ſum gratulatus. Nunc illud, an ſequenti demum anno incipiat, lis eſt vetus, & nondum deciſa. Ad Mathematicos ac Chronologos pertinet, accurate in iſta inquirere. Oratoribus ſufficit, cum populo loqui, quorum ſermo eſt popularis, hoc eſt, ad captum ac mentem populi accommodatus; & in ſententiarum atque opinionum varietate id illis eligere integrum eſt, quod cum ſubjecta materia convenire potiſſimum putant. Quin & ſcriptores Eccleſiaſtici multi; quin & ipſi Romani Pontifices non aliter novum computare ſaeculum ſolent: quorum me exemplo & auctoritate tueri abunde poſſum. Quid autem me moverit, ad hanc ipſam, quae mei proprie fori non eſt, materiam pertractandam, ſi quis ſcire deſideret, hoc à me reſponſi accipiat; tam pulchram, tam com-

modam, nec redituram unquam denuo occaſionem, praeterire me noluiſſe. Quid, quod hos ipſos, tam praeſertim notabiles, captare articulos temporis, & in ſuum eos uſum convertere, non, inobſervatos transmittere, prudentis eſt Oratoris? Quid, quod ſacram tractare materiam nullae leges vetant, nec ſolis tantum Theologis, ſed & ordinis noſtri hominibus, quod & à multis jam factum, ſuo item jure conceſſum eſt? Quid, quod iis oſtendere volui, qui omnem è Templis eloquentiam exigunt, quo pacto res Eccleſiaſticae Oratorio etiam more pertractari poſſent? At, non es Theologus: at, ſum Chriſtianus; eumque me eſſe profiteor; quod abunde hoc ſcripto, & apertis, ut opinor, verbis, videor declaraſſe. At, offendiſti Theologos. Quos? bonos? non credo: malos? nihil moror. Quae iſtaec Oratio eſt? An Litterarum Profeſſores profanos eſſe omnes oportet; nec auctores alios ullos, quàm profanos, evolvere? Ego aliter cenſeo, & Chriſtianos omnes Sacram Scripturam legere, ac ſuo quodam more debere eſſe Theologos, judico. Si iſtud eſt crimen,

ab

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
388 E 46

ab eo ſane crimine liberari nolim. Amo Litteras, ſed in primis Sacras, & bonam iſtam mentem augeri mihi indies cupio. Ex animi ſenſu loquor, nec alius videri volo, quam eſſe. Quin & illum, tanquam Inferni portas, odio habeo, qui aliud ore profert, aliud pectore occulit. Quamobrem, cùm in re ſacra ac ſeria, verbis ſim locutus ſacris & ſeriis, quid aliud egi, niſi quod Chriſtianum, ac noſtrae Religionis agere hominem decuit? Cauſſam communem defendi, ſententiam meam expoſui, neminem perſtringere ſtudui, eaque moderatione ſum uſus, quam & eos, qui à nobis diſſentiunt, non improbaturos confido. Aut veritatem fuiſſe prodendam, aut non aliter loqui me potuiſſe, aequiores, puto, judices fatebuntur. Sed, bona cauſſa confiſus, nec diverſarum ſtudia partium reformido; nec malevolorum invidiam hominum pertimeſco. Nemo quicquam unquam ſcribere potuit, qui non ſuos habuerit obtrectatores: quod illi eſſe veriſſimum ſentiunt, qui ſupra vulgus aliquid moliuntur. Me conſilii mei non poenitet, nec enim haec ederem, ſi poeniteret. Et quanquam veritas odium,

obſe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
388 E 46

obſequium amicos paret, patrocinium tamen illius ſuſcipere, & Deo obtemperare, quam hominibus, malui. Haec habui Lector, quae dicerem: Tu vale, quiſquis haec leges, & labore noſtro utere, fruere. Quod ſi aliquem ex eo fructum percipias, & aut doctior inde fias, aut melior, eſt quo Ei gratias agam, qui operam iſtam meam non inutilem eſſe voluerit.

PE-

PETRI FRANCII
ORATIO
DE
ANNO JUBILAEO.

Quod mihi, vobis, ac veſtris, quod huic ampliſſimae civitati, reique publicae univerſae, quod harum regionum Eccleſiis, Academiis, Scholis, & ſingulorum negotiis omnibus, felix, fauſtum, ac fortunatum, Deus eſſe velit Opt. Max. venerunt hodie Januariae, ut videtis, Kalendae; initium Novi Anni, initium Novi Saeculi. Quid faciam, quid agam, quid dicam? Quid autem aliud, niſi ut Deo immortali, qui nos in hunc uſque diem ſalvos incolumeſque ſervavit, in orationis meae limine gratias agam: deinde Eum orem atque obſecrem, ut in annum nos ſubſequentem, & in plures inſuper alios, dignetur eſſe ſuperſtites. Tibi itaque, Deus, Optime non minus, quam Maxime, nam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
388 E 46

& omnia potes, & nobis bene velle non deſinis, Tibi inquam, Auctor temporis, Pater aeternitatis, quod in hujus Anni exordio, quod in hujus exordio Saeculi, fieri ante omnia convenit, gratias agimus plurimas, maximas; & à Te principium ſumimus, qui omnium ipſe rerum principium es. Tu vitam nobis dediſti; Tu hactenus conſervaſti: tuo enim munere vivimus, ſpiramus, movemur, & in hodiernum diem ſuperſtites ſumus. Tu plurimis nos beneficiis, & bonis innumerabilibus cumulaſti. Tu finem Anni praeteriti, Tu initium Anni Novi, & hanc optatiſſimam lucem, quam videre multis non contigit, videre nobis denuo indulſiſti. Tu hujus lucis uſuram, hujus diei laetitiam, hujus initium Saeculi, quod multi fruſtra optarunt, noſtris nos oculis intueri, tantique gaudii fructum indignis nobis mortalibus pro ſingulari tua clementia conceſſiſti. Gratias Tibi agimus, Pater, & ore ſimul & animo, pro tuis hiſce muneribus ac beneficiis omnibus; neque ulla unquam delebit oblivio tuorum in nos memoriam meritorum. Si tamen à Te aliquid inſuper poſtulari ſinis, nec vanam omnino de Te ſpem concipimus, qui in hodiernum hunc diem tua vitam bonitate protrahimus, oramus Te, Pater, atque obſecramus, ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
388 E 46

hunc ipſum, quem ordimur, Annum feliciter nobis decurrere, & ad ſuum porro exitum perducere liceat; ut hoc ipſum, quod attingimus, Saeculum, ſi non abſolvere, quod improbum plane eſt votum, at inchoare, & partem ejus aliquam delibare, pro bonitatis tuae ratione poſſimus. Da valetudinem proſperam, da vitam longaevam, quam tuae olim benevolentiae ſignum eſſe voluiſti; & in tantum illam extende, in quantum & tuae voluntati conveniens, & rei noſtrae conſultum, vitae noſtrae Arbiter, judicabis. Hactenus Deum, nunc vos alloquor, Auditores. Et quid dicam, quid proloquar, niſi ut laeta vobis omnia voveam, hoc laeto ac ſolenni die? Annus eſt Novus, vota de more ſolennia nuncupemus; Novum eſt Saeculum, Saeculare carmen cantemus; Annus eſt Jubilaeus, Jubilemus, & die tam auſpicato communi omnes gaudio exultemus. Magnus hic ſane ac ſingularis eſt dies, & qualem veſtrum omnium nemo, quod Saecularibus ludis dici ſolebat, nec vidit unquam, nec videbit. Adeſte itaque, Audd. & ad rem novam, inſolitam, inviſitatam alacres ac frequentes concurrite. Favete linguis & animis; bona mecum verba profundite, laeta vota concipite; & hunc ipſum adeo celebrem, & à multis hodie gentibus celebrandum

 diem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
388 E 46

diem, rite atque ſolenniter, quod illius dignitas poſtulat, celebrate. Et quoniam hunc me locum conſcendere, & verba vobis praeire Ampliſſimorum Conſulum juſſit auctoritas, faciam, quod Novi Anni initio fieri ſolet, & vobis, qui adeſtis, omnibus, ſecundum veterem formulam, fauſta ac felicia omnia comprecabor. Sed generale nimis iſtud eſt votum. Vovendum eſt aliquid ſpecialius, quod & vos propius tangat, & ſuum cuique votum aſſignet. Ac vobis quidem primum, ut à vobis incipiam, Nobiliſſimi & Ampliſſimi Patres, hujus urbis lumina, hujus Reipublicae fulcra, Praetor, Conſules, Judices, Senatores, & vos reliqui in honore ac dignitate poſiti Viri, vobis inquam opto ac voveo, ut diu hanc urbem, ut diu hanc noſtram Rempublicam, ſalvi atque incolumes gubernetis. Floreant ſub vobis Leges, floreat ſub vobis Eccleſia, floreat Mercatura, floreant etiam Studia, quorum nonnulli veſtrum Patroni eſtis, ac Genii quidam tutelares. Sit haec urbs multò clariſſima, & vobis, tanquam Parentibus, ac publicis, quod eſtis, Patribus, pareat atque obtemperet. Vos civium concordiam alite, vos eos cum clementia regite, vos illis bene conſulite, in longumque proſpicite; donec, peracto hoc vitae curſu, hanc ipſam imperii gloriam,

& om-

& omnem veſtrum ſplendorem, quod votum Parentibus unicum, in veſtros deinde liberos propagetis; qui, Parentum ſuorum exemplo, per eorum veſtigia decúrrendo, eorum virtutibus inſiſtendo, hanc noſtram olim civitatem, hanc noſtram Rempublicam, quod feciſtis hactenus, pie, ſancte, ac feliciter adminiſtrent. Vobis vero, ut ad vos me convertam, divinarum atque humanarum Artium Profeſſores, Collegae mei, vobis ego voveo comprecorque, ut diu hanc ſtationem obire, ut artes honeſtas tradere, ut commiſſos vobis juvenes erudire, & quod in vobis doctrinae eſt ad alios derivare, & cum iis, qui vos accedunt, communicare poſſitis. Schola noſtra Illuſtris ſeminarium eſt Eccleſiae, ſeminarium eſt Reip. unde, ut è doloſa Epei machina milites, multi prodeunt adoleſcentes, qui Dei deinde Eccleſiam, qui hanc deinde Remp. bonis artibus adjuvent, & quod à vobis hauſerunt in commune Patriae commodum longe latéque diſſeminent. Promovete rem litterariam, nec ullis moleſtiis parcite. Veſtro illis exemplo praeite; veſtris eos verbis monete, accendite, excitate; quò haec urbs noſtra cives, Miniſtros Eccleſia, Magiſtratus Reſp. habere praeclaros poſſit. Vobis autem, ut ordine ſingulos alloquar, quid precer, quid voveam,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
388 E 46

qui continua pro nobis vota concipitis, qui omnia nobis apprecamini optima, verbi divini Praecones, oraculorum Dei cuſtodes, explanatores, interpretes? Inſigne munus eſt, quo ornati eſtis; magnus eſt labor, quem ſuſcipitis; magna moles, quam veſtris vos humeris ſuſtinetis. Corpus veſtrum corroboret, & oneri vos iſti idoneos reddat, qui iſti vos operi conſecravit; mentes veſtras illuminet, qui inacceſſibilem lucem inhabitat, quò noſtras viciſſim mentes illuminetis. Paſtores ſui gregis reſpiciat Paſtor ille ſupremus, & vobis Eccleſiam, vos Eccleſiae, diu longumque conſervet; ut, decurſo in terris ſpatio, vitae immortalis coronam, & dignum laboribus praemium reportetis. Vobis porro, ut in orbem decurrat, & per univerſum hoc Auditorium mea ſeſe circumducat oratio, Juris, ac Medicinae, & Liberalium Artium ac Diſciplinarum Doctores, & quotquot adeſtis praeterea, Litterarum ac ſtudiorum communium amatores, vobis ego omnibus comprecor, ut jus & aequum tueri, ut aegrotos ſanare, ut honeſtis animum artibus oblectare, per multos etiamnum annos, ſani atque integri valeatis. Vobis denique, ut ad vos tandem deveniam, harum ipſarum Artium Studioſi, ſpes Parentum, ſpes noſtra, ſpes Patriae, vobis ego hac aetate

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
388 E 46

aetate veſtra juvenili voveo, ut ad virilem aetatem, ad robuſtam illam vitae maturitatem, ſuo olim tempore perveniatis, quò Parentibus gaudio, vobis gloriae, Patriae ornamento eſſe poſſitis. Imbuite mentem praeclaris Artibus, ac nihil iis eſſe praeſtantius cogitate. Adhibete curam ac diligentiam, ſine qua nemo magnus unquam, aut illuſtris, fuit. Laborem ne ſubterfugite: venalia eo ſunt omnia: hac praeſertim aetate, quae ad ſuſtinendos labores eſt idonea maxime. Bonis conſiliis obtemperate; Praeceptoribus, ut Parentibus, obedite; Deum ante omnia colite; ſine cujus auxilio irritus veſter eſt omnis ac fruſtraneus labor. Ita veſtris conatibus faveat, ita ſtudiis veſtris adſpiret, ſuiſque vos donis perfundat, bonorum ille omnium dator ac largitor, Deus. Sed deſino, & votorum meorum finem facio, ne vana vos ſpe lactaſſe, & verba magis dediſſe, quam rem ipſam, videar. Properat enim animus, Audd. & ad ſubjectam materiam mea jam feſtinat oratio. Quaenam autem eſt illa? quae, inquam, alia, niſi quam hic ipſe mihi ſuggerit ac ſuppeditat dies? Annum ingredimur Jubilaeum. Quid convenientius, quam ſi hanc ipſam, quae ſponte ſua ſe offert, materiam mihi delegero? De Anno itaquo Jubilaeo praefabor vobis ego aliquid hodie.

Qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
388 E 46

Qui cum à Judaeis ad Chriſtianos devenerit, de Judaico primum, deinde de Chriſtiano, tum noſtro, tum Pontificio, acturus ſum Jubilaeo. Quod dum facere aggredior, non veſtram mihi benevolentiam, quam nunquam mihi denegaſtis, quam hoc ipſo olim in loco prolixe adeo, ac vice plus ſimplici, declaraſtis, ambitioſis admodum verbis implorandam puto. Haud difficulter illam à vobis, niſi mihi blandior, Audd. & hujus diei celebritas, & rei ipſius novitas, ſine meis ullis precibus, impetrabunt.

Inter varia Judaeorum Feſta, quae ad Solis ac Lunae curſum, ad duo illa luminaria magna, quae in notas & ſigna temporum Deus ipſe, principio rernm, in Coeli expanſo ſuſpenderat, dirigebant; inter plurima illa ac diverſa Novilunia, Plenilunia, Sabbata, & tria illa, quae vocabant maxima, Paſchatis, Pentecoſtes, ac Tabernaculorum Solennia, & Expiationis magnum illum praeceteris atque illuſtrem diem; inter omnia, inquam, illa, Hebdomadalia, Menſtrua, Annua, & poſt certum annorum decurſum recurrentia Hebraeorum Feſta, Annus excelluit merito Jubilaeus. Sacer erat huic genti Septimus dies, quem Sabbatum, hoc eſt quietem, vocabant, quoniam iſto die magnus ille Conditor mundi ab opere Creationis quieverat. In hujus diei memoriam,

ex

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
388 E 46

ex ipſius Dei mandato, hanc illis de Sabbato legem praeſcripſerat ſapientiſſimus gentis Judaicae Legiſlator Moſes, quam & ſumma illi religione, ac ſingulari caerimonia obſervabant. Ut Septimus Dies, ita & Septimus illis Annus ſacer erat ac conſecratus, quem Annum exinde Sabbaticum nominabant. Septimo die quieſcebant homines, anno Septimo quieſcebant agri, quod Terrae propterea Sabbatum eſt appellatum; die Septimo, ne de cibo quidem ſibi proſpicere integrum erat; anno Septimo nec arare nec ſerere, nec ullo modo terram proſcindere, licitum erat aut conceſſum. Sapienter nempe providerat, & in gentis ſuae commodum caverat, ſapientiſſimus Legiſlator, ne opere illo continuo exhaurirentur, ac ſteriles plane fierent agri, ut per ſex annos exercerentur, ſeptimo vero quieſcerent, & ab omni prorſus aratro immunes eſſent. Saluberrimum hoc erat conſilium, nam & novas terra vires recuperabat, & majore cum abundantia frumentum, oleum, vinum, atque omne fructuum genus, annis deinde ſequentibus proferebat. Quin & peculiaris erat benedictio anni Sexti, qui ubere ſuo proventu Septimi illius penuriam compenſabat, quo terram colere, aut fructus ullos colligere, vetabantur. Quod ſponte tamen naſcebatur tollere, ut dominis inter-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
388 E 46

dictum, ita pauperibus erat conceſſum, quo pacto & his in praeſens, & illis in poſterum conſulebatur. Jam vero, cum tanta fuerit ſanctitas Septimi, tum Diei, tum Anni, qualem illam fuiſſe credendum eſt, cum ſepties ſeptimus in unum & eundem annum concurreret numerus? Nihil hoc ſanctius, nihil conſecratius, nihil religioſius. Annus hic erat Sabbaticus, ſed Sabbaticus Magnus, quinquaginta annorum curriculo circumſcriptus. Quid? Annusne Magnus Sabbaticus annus eſt quinquageſimus; cum ſepties ſeptem anni novem & quadraginta, non quinquaginta, conficiant? Attendite, Audd. utrumque verum eſt. Anno nempe Sabbatico ſepties ſeptimo, hoc eſt, nono & quadrageſimo, finiente, quinquageſimo vero inchoante, annus celebratus eſt Jubilaeus; ne incideret in vulgarem Sabbaticum ſcilicet, ad quem pertinebat annus quadrageſimus nonus. Duplicem habebant annum Hebraei, Sacrum, menſe Niſan, qui nobis eſt Martius, ſub Aequinoctium Vernum; quem à primo Paſchate, & Iſraëlitarum ex Aegypto exitu computabant: Naturalem, menſe Tiſri, qui nobis September, ſub Aequinoctium Autumnale; quo tempore mundum à Deo conditum exiſtimabant. Sacri itaque anni menſe ſeptimo, Naturalis primo, die deci-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
388 E 46

decimo, die Jejunii, Magnae Expiationis ſacro illo ac ſolenni die, promulgabant hunc annum Praecones, & commune illud gaudium annuntiabant per univerſam Judaeam cornu arietino Levitae; ſive ab iſto cornu, ſive aliunde, annus iſte fuerit denominatus. Ad tubarum illarum clangorem magno concurſu populus confluebat, & nuntium laetitiae ſonum avidis admodum auribus inbibebat. Prioribus annis Sabbaticis, & minoribus illis, ut ita dixerim, Jubilaeis, agri ab opere ruſtico quieſcebant; hoc vero anno Sabbatico Magno non quieſcebant tantum, ſed & ad dominos ſuos veteres, ac priores poſſeſſores redibant, quorum ante annos quinquaginta illae ipſae fuerant poſſeſſiones. Annis Sabbaticis, ut & intermedio tempore, vel per ipſum Dominum, ſi ipſe poſſet, vel per Fratrem, aut Affinem proximum, ſi cui tantum non eſſet, agri redimi poterant, certo pro iis pretio perſoluto: Anno Jubilaeo, ſponte, & ipſo jure, ſine ſponſore, aut pretio, ſuam quiſque rem repetebat, ſuos agros, ſuas in iis domos, recuperabat. Pauperes diteſcebant, ſervi libertatem accipiebant; debitores debitis, captivi vinculis liberabantur. Prudenter ſane haec omnia ac ſapienter, ad diſtinctionem Tribuum, & illius inprimis, unde Meſſias naſci debebat, ad conſervationem familia-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
388 E 46

rum, ac totius gentis, ad jus Dei, quod & in gentem, & in terram iſtam habebat, tuendum ac vindicandum, a ſagaciſſimo Legiſlatore, vel à Deo potius, iſtum in modum fuerant conſtituta. Oſtendebat videlicet hoc modo Deus, ſe gentem illam amare, & ex aequo omnes diligere, ſe terrae illius Dominum eſſe ac proprietarium, cujus inquilini tantum & uſufructuarii eſſent Hebraei. Nam quanquam univerſus hic orbis, & omnis ejus plenitudo ſit Dei, Cananaeam tamen peculiari ſibi jure vindicabat. Hanc poſteris Abrahami promiſerat, hanc illis vacuam fecerat, & in poſſeſſionem perpetuam dederat; hanc iis reddebat, ac poſt ſeptem quaeque ſeptennia in eam eos revocabat, & quaſi de novo, ac ſua veluti manu, introducebat. Nunquid hic annus Sabbaticus, & quidem Magnus? Nunquid hic Jubilaeus? annus Quietis, annus Laetitiae; annus Gratiae? Quae enim plenior quies? quae major laetitia, major gratia? quod majus eſſe beneficium potuit, quàm cùm detenti in carcere, liberum exitum; aere alieno obruti, debitorum ſolutionem; alieno addicti ſervitio libertatem priſtinam impetrarent? Cùm in avitas opes, & majorum ſuorum poſſeſſionem pauperes, in rem ſuam omnes mitterentur, & non à Praetore, ſed à Legiſlatore, ab ipſo inquam Deo,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
388 E 46

Deo, in integrum reſtituerentur? Qui per urbes diſcurſus? qui plauſus? quae acclamatio? quae exultatio? Alia plane erat rerum omnium, ac totius Reipubl. facies, & univerſalis quaedam in melius transformatio. Publica erat laetitia, & quidem tanta, quam haud facile quiſquam mente concipere, aut ullis omnino verbis poſſit exprimere.

Haec de Jubilaeo Judaico: videamus de Chriſtiano; cujus umbra Judaicus. Umbratica erat tota Judaeorum Religio, quod qui non agnoſcit, nae ille parum in rebus ad Religionem pertinentibus videt! Aliud nos docet Apoſtolus in nobili illa ſua ad Hebraeos Epiſtola, quae vel unica ſufficit ad omnes illos, qui aliter ſentiunt, redarguendos. Umbra erat terra Cananaea Cananaeae illius Coeleſtis: umbra erat urbs Hieroſolyma Hieroſolymae illius Supernae, ſine manibus factae: umbra erat annus Jubilaeus Jubilaei illius beati, hic in terris per Chriſtum, olim in Coelis cum Chriſto, ac beatis Coeli incolis peragendi. Immo vero, Audd. Servatoris noſtri annus Natalis, annus eſt Jubilaeus, per priorem illum Judaicum deſignatus. Hic eſt annus Sabbaticus, & potiore jure, quam iſte, Magnus; quo verum nobis Sabbatum, non in unum diem. aut annum, ſed in perpetuum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
388 E 46

quo veram & aeternam quietem, non agris, non corporibus, ſed animabus noſtris, adventu illo ſuo attulit ac donavit Deus. Hic annus eſt Jubilaeus, annus Gaudii, quo magnum nobis gaudium natum eſt; quo non homines tantum in terra, ſed & ipſi in Coelo Angeli gaudio exultarunt, Deumque laudantes ac celebrantes, & ſacrum Ei carmen canentes, Coelum, Terram, Aërem, gaudio impleverunt. Hic annus eſt Gratiae, quo delictorum ac debitorum nobis omnium gratia facta eſt: annus Beneplaciti, quo dilectum ac beneplacitum ſibi Filium miſit, quo ſuo nos amore, ſua nos benevolentia complexus eſt Deus: Annus Domini, Annus Gratus & Acceptus, ut eum vocat Propheta, ad Judaicum Jubilaeum alludens, & ad Chriſti Natalem, ut ipſe explicat Chriſtus, ad Jubilaeum hunc noſtrum, reſpiciens, quo nullus ſane gratior annus & acceptior, aut hominibus fuit, aut Deo. Hic verus Liberationis eſt annus, quo à vinculis Satanae, quibus nos ille conſtrictos tenuerat hactenus, quo à captivitate plus quàm Babylonica, à ſervitute plus quàm Aegyptia; quo è Mortis carcere, & ab aeterna condemnatione; quo ab omnibus debitis ac peccatis noſtris ſoluti; quo in libertatem aſſerti, ac vere tandem ſumus emancipati. Reſtitutionis hic denique, & rerum omni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
388 E 46

omnium Redintegrationis eſt annus; quo avitas poſſeſſiones, & amiſſa jam dudum bona recepimus; quo non in terrenas domos, aut terrenos agros, ſed in agros ac domos Coeleſtes; non in terram aliquam Cananaeam, lacte ac melle abundantem, ſed in Cananaeam illam ſupernam, Coeleſti rore, Coeleſti nectare diffluentem; non in terreſtrem aliquem Paradiſum, unde majores noſtri dejecti, ſed in aeternum illum ac beatum hortum, unde nemo nos unquam expellet, in verae illum Voluptatis hortum, introducti ſumus. Exultate, Jubilate, gaudete: Annus eſt Jubilaeus; Jubilaeus eſt Chriſtianus. O felicem illum ac beatum annum, quo aeternus Dei Filius, homo factus, & anno, ut creditur, Jubilaeo natus, tantum nobis gaudium procuravit! Hic captivos eduxit è carcere, ſervos manumiſit, pauperes locupletavit, obaeratos aere alieno liberavit. Hic verus noſter Redemptor, Liberator, Aſſertor. Hic ille noſter Affinis, qui cùm nos non eſſemus ſolvendo, debitum in ſe noſtrum recepit, & omne pro nobis pretium ſolvit; non argento aut auro; non ovium aut taurorum ſanguine; ſed meliore, ſed ſuo. Hic ille noſter eſt Frater, Frater noſter Germanus, qui ſe pro fratribus obtulit. Hic Agnus immaculatus, ante mundi fundamenta mactatus, qui pretioſo ſuo illo, & inaeſtimabili ſanguine

nos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
388 E 46

nos redemit, & iratum nobis Patrem placidum ac pacatum reddidit. Pacem nobis attulit Princeps pacis, Deus ille Pacis, ac Dominus, quo naſcente pacem terris annuntiavere Coeleſtes Armigeri, quo naſcente per univerſum terrarum orbem pax fuit. Attulit annum Quietis aeterni Sabbati conditor: annum Gratiae, Dei ille Filius gratioſus, qui apud ſuum nos Patrem in gratia poſuit: annum Libertatis, qui nos in libertatem aſſeruit, qui noſtris nos vinculis liberavit: annum Reſtitutionis, qui nos divites fecit, qui bona nobis noſtra reſtituit. Veris nos bonis ornaverat, ad ſui imaginem finxerat, in deliciarum horto poſuerat, rerum omnium abundantia cumulaverat, rerum omnium dominos fecerat, ac felices nos plane reddiderat in terris Deus. Aſtu Diaboli omnia iſta perdidimus: ope Chriſti, recepimus. Hic propter nos factus eſt pauper, ut Coeleſtes nobis divitias compararet: ſervi induit formam, ut nos ſervitute eriperet, ut nos Deo liberos ſiſteret: noſtra in ſe vincula tranſtulit, ut ab Inferni nos vinculis ſolveret: debita in ſe noſtra ſuſcepit, ut noſtris nos debitis expediret. Vitam hanc noſtram vixit, fragilem, caducam, brevem, ut nos aeternam in Coelo ageremus vitam; terram hanc noſtram calcavit, ut nos Coelo inveheret; mortem pro nobis obiit, ne ullum in

nos

nos dominium Mors haberet. Per hunc aſſerti, liberati, redempti, & hujus gaudii, hujus gratiae, anni hujus gratioſi participes facti, nullum alium Redemptorem agnoſcimus, nullum alium Jubilaeum admittimus. Hic verus, hic genuinus, hic unicus, hic omnium Chriſtianorum, vere Chriſtum amantium, hic Latinorum ac Graecorum Patrum, hic univerſae Eccleſiae veteris Jubilaeus.

Sed ut rivorum ac fluminum juxta primam ſuam originem aquae ſunt puriores, quae procedente mox curſu multum limi contrahunt, & quò magis à fonte ſuo recedunt, magis item ac magis turbidae fiunt: ita paulatim à puro illo ac limpido fonte, unde aquae proſiliunt in vitam aeternam, à Chriſto inquam, & Ejus doctrina, ab Euangeliſtis & Apoſtolis, à prima Euangelii ſimplicitate deſcivit, &, ut alia multa, ita & hoc deinde Romana mutavit Eccleſia. Senſim ac ſenſim potentiores fiebant, & ad imperium univerſale adſcendebant Pontifices urbis Romae. Illius potentiae fundamenta jecerat, ſaeculo ſexto, Ponifacius Tertius, qni primus Oecumenici titulum uſurpavit: ad ſummum faſtigium illam evexerat, ſaeculo decimo, Gregorius Septimus, quo nemo unquam pejor extitit Pontifex, vel ipſa Romana Eccleſia confitente. Ex eo tempore quidvis audebant, quidvis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
388 E 46

ſibi licitum exiſtimabant Romani Antiſtites; nec integros tantum populos proſcribebant, ſed & Reges ac Principes, tanquam Setpentes & Scorpiones, pedibus proterebant. Ante ſaeculum tamen tertiumdecimum nulla Jubilaei Pontificii facta mentio reperitur. Nemo ante id tempus mortalium de iſto unquam negotio cogitavit. Primus illud induxit, in iſtius veſtibulo ſaeculi, Bonifacius nominis illius Octavus, Septimo iſti Gregorio plane vita ac moribus ſimilis, & alter veluti Hildebrandus. Is magna cum pompa & cerimonia annum iſtum Gratiae ſcilicet inter omnes Europae populos palam fecit. Accurſum eſt undique ad rem novam, incredibili hominum multitudine, etiam Regum & Principum. Statuerat Bonifacius, ad Saecularium ludorum exemplum, (habet enim hoc Romana Eccleſia, ut ritus ſuos quamplurimos partim à Judaeis, partim à Gentibus mutuetur) ſtatuerat, inquam, Bonifacius, ut anno quoque centeſimo Indulgentiae iſtae diſtribuerentur. Sed nimis id longum eſt viſum ac remotum tempus, quod humanam omnem aetatem videbatur tranſcendere. Quare Clemens deinde Sextus, anno illius ſaeculi quinquageſimo, Pontificatus ſui primo, ad exemplum Jubilaei Judaici, feſtum hoc celebravit, ac Jubilaei inſuper

per nomine inſignivit; quò majorem videlicet ſpeciem, & cum Judaico ſimilitudinem res haberet. Sed nec iſtos intra limites ſtetit, ac tempus illud ipſum contraxit, & ad triginta tres annos reduxit Urbanus Sextus, qui, morte praeventus, ſpe excidit, & Bonifacio deinceps Nono, anno ſupra milleſimum quadringenteſimo, omnem illam auream meſſem colligendam dedit. Anno iſtius ſaeculi tertio & triceſimo, ex praeſcripto Urbani Sexti, Jubilaeum denuo celebravit Martinus Qüintus; anno quinquageſimo, vicennio nondum elapſo, contra decretum Baſileënſis Concilii, eundem revocavit Nicolaus Quintus. Paulus poſt hos Secundus, & Sixtus deinceps Quartus, ad quinque & viginti annos Jubilaei ſpatium reſtrinxerunt; quorum iſte poſtremus, anno illius ſaeculi quinto & ſeptuageſimo, more eum ſolito celebravit; quod exinde tempus per inſequentes Pontifices ſtabilitum & confirmatum in hodiernum eſt diem. Novum ſaeculum anno milleſimo quingenteſimo, Jubilaeo exhibendo, Alexander aperuit Sextus: anno íſtius ſaeculi vigeſimoquinto, Clemens Septimus: quinquageſimo, Julius Tertius: ſeptuageſimoquinto, Gregorius Tertiusdecimus. Hoc quod claudimus ſaeculum novo Jubilaeo Octavus in-

choavit Clemens; altero Jubilaeo excepit Urbanus Octavus, magnum illud Litterarum humaniorum, & Poëtices ornamentum. Anno ejuſdem ſaeculi quinquageſimo Jubilaeum Innocentius Decimus, anno quinto & ſeptuageſimo Decimus exhibuit Clemens. Ultimum denique, & à Bonifacii Octavi tempore quintumdecimum, inter Saeculares quintum, hodiernus hoc ipſo die repraeſentat Pontifex Innocentius iſtius nominis Duodecimus. Magni ſunt, & magna frequentia hominum celebrantur omnes; inter reliquos tamen Jubilaei eminent Saeculares; vetus quippe ſaeculum conditur, novum recluditur, & ad captanda illius auſpicia incredibili multitudine hominum Romam itur. Quem nunc illic concurſum factum, quam ab omnibus undique populis eò confluxiſſe turbam putatis? Plenae omnes ſunt viae, plena hominum oppida, plena peregrinis & advenis, ſeſe mutuo collidentibus, Roma. Omnis aetas, omnis ſexus, omnis ordo hominum, omnis Italia, omnis Europa, ſuas domos relinquunt, ſuis urbibus exeunt, & in urbem, ut vocant, Sanctam, ad hujus diei, ad hujus anni ſanctimoniam confluunt. Multitudinem infinitam, & omnem iſtam colluviem hominum, ipſa Roma non capit; quae hoc maxime tempore muro-

rum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
388 E 46

rum ſuorum ambitum dilatare, montes ſuos attollere, ſi poſſet, vellet; turbamque tam magnam coutemplans, & in una urbe univerſum paene orbem conſpiciens, ſupra ſuos montes aſſurgere, atque in ipſum uſque Coelum videtur adſcendere. Sedet in Vaticano Sanctiſſimus Pater, triplici indutus tiara, triplicis imperii ſigno, in Terram, in Infernum, in Coelum: Bullas paſſim affigit, Indulgentias paſſim diſtribuit, peccata quaevis remittit, Chriſti Vicarius: collationes offerentium accipit, & Petri Patrimonium auget, Succeſſor Petri. Coram illo ſeſe proſternunt terrarum Reges ac Principes, neque tam alto quiſquam loco eſt poſitus, qui non illius libenter imperio ſubmittat ſuum. Omnes ſalutem ab eo ſuam expectant in mortis ultima, ut loquuntur, hora: omnes igne Luſtrali eripi, & quam primum Coelo inſeri cupiunt; aeternam ſuam felicitatem in unius mortalis, & eundem nobis in morem morituri, temporaria benevolentia collocantes. Quin ad omnia paſſim templa concurruut, nec à vivo illo tantum ac praeſenti Deo, ſed à mortuis etiam, ſed à Sanctis, & à Divis, quot ubique ſunt, omnibus, pacem poſcunt. Qui ad Mariam Majorem confluxus? qui ad Johannem Lateranenſem? qui ad aedem Petri? qui ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
388 E 46

aedem Pauli? Quae veneratio? quae ſupplicatio? quae adoratio? quae Sanctorum & Martyrum invocatio? quae Simulacrorum ac Reliquiarum exoſculatio? O coecas hominum, ac perverſas mentes, qui à Sanctis, à Sanctorum Reliquiis, qui à Romano Pontifice, magno (quis neget?) Principe, homine tamen, & humanis peccatis obnoxio, animarum ſuàrum medicinam petunt! Quò vobis Petrus ac Paulus? qui vos non norunt: quò Sanctorum Reliquiae? quae forte falſae: quò Papales Bullae & Indulgentiae? Vana iſta ſunt omnia & inania prorſus auxilia. Nihil Sancti juvare nos poſſunt, nihil Reliquiae, nihil Bullae, nihil Indulgentiae. Quid? Nihil Indulgentiae juvant? nihil poſſunt? nihil proſunt? Fallor. Plurimum proſunt. Immo vero jam plurimum profuerunt. Hae ipſae Indulgentiae ſcilicet Reformationem Eccleſiae pepererunt. Et, ut Tarquinii illius Superbi importuna iſta nimis ac tyrannica dominatio Romano ſuam populo libertatem: ſic nimius iſte Romanorum Pontificum in Eccleſia dominatus; ſic ad omnia templa affixae illae Decretales Bullae atque Indulgentiae, noſtris libertatem Eccleſiis attulerunt.

Nam, cum non per Italiam tantum, ſed & per Helvetiam, atque Germaniam, cum Papalibus

libus Bullis & Indulgentiis miſſi ex Italia Monachi volitarent, contra illos inſurgere, &, ut ab iſtorum inſidiis hominum ſibi caverent, concionibus publicis populum monere ceperunt primi Eccleſiae Reformatores, Zuinglius, Reuchlinus, Oecolampadius, & Martinus in primis Lutherus, vir oris diſerti, & intrepidi animi; qui furori Monachorum reſtitit, Romanum jugum excuſſit, & puriorum Sacrorum in Saxonia primum, in univerſa deinde Germania, unà cum Philippo Melanchthone, fundamenta jecit. Pulſis ignorantiae tenebris, ad claram Euangelii lucem oculos aperuerunt vicini Germaniae populi, Hungari ac Bohemi; mox Galli, Belgae, Britanni; Dani item ac Suevi, & in ultimo Septentrionis angulo ſiti. Ita per utramque Germaniam, & maximam Europae partem, vis veritatis, & Euangelii ſeſe fulgor diſperſit: illuxitque tandem orbi terrarum benignus ille ac ſalutaris, ille tot hominum votis ac precibus expetitus dies. Viderant enim jam dudum, & corrigi fruſtra optaverant, prolapſum Eccleſiae ſtatum, pii ac religioſi, inter ipſos etiam Pontificios, viri; & acribus ſatis verbis nimiam Eccleſiaſticorum licentiam corripuerant, Petrarcha, Platina, Mantuanus, & decus illud aeternum, Rotterodami dicam, an Baſileae, an

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
388 E 46

totius Europae? popularis ille noſter Eraſmus. Refingendam omnes clamabant Eccleſiam, & ab omnibus, quae irrepſerant, ſordibus repurgandam. Alii hanc, alii aliam, alii vero diverſam reformandae Eccleſiae ſtatuebant viam: quae ut omnes fortaſſe non malae, ab animo certe non malo profectae, ſic illam omnino, quam Deus ipſe probaverit, meliorem fuiſſe credendum eſt. Hoc illud eſt tempus videlicet, quo ex alto nobis apparuit Oriens ille ex alto; quo ſupra terram noſtram adſcendit Sol ille Juſtitiae, ſub cujus alis ſanitas reperitur; quo in mundum hunc venit Lux mundi, qui omnes mundi incolas Coeleſti ſua luce perfundit; qui coecis viſum reſtituit; qui nos è tenebris ad lucem ſuam admirabilem tranſtulit. Hoc illud, inquam, eſt tempus, quo dilectus Dei Filius natus eſt denuo; quo Sanctus Dei Spiritus è Coelo rurſum deſcendit; quo pii & Apoſtolici viri, Coeleſti aura afflati, Coeleſti igne accenſi, variis ac diverſis linguis, in variis orbis partibus, Chriſti & Apoſtolorum doctrinam, è Scripturae fontibus hauſtam, imperterrito plane animo docuerunt, & in omnes terrarum oras, ut Sancti olim Apoſtoli, diſſeminarunt. Hic annus eſt Gratiae, annus Beneplaciti, quo Foedus nobiſcum Gratiae renovavit,

quo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
388 E 46

quo Euangelium nobis Gratiae dedit; quo ſibi in nobis placuit, quo bonam ſuam voluntatem, ſuum nobis beneplacitum ſignificavit. Hic annus eſt Liberationis, quo è captivitate plus quam Judaica liberati, è Babylone educti, ex Aegypto, domo ſervitutis, egreſſi, & in veram tandem libertatem ſumus revocati. Hic annus eſt Vindicationis, & debitorum omnium Solutionis, quo ſibi nos vindicavit, quo pretium pro nobis ſolvit, qui ſolus illud ſolvere potuit. Hic Reſtitutionis eſt annus, quo res nobis noſtras reſtituit, quo Sacram nobis Scripturam, legi hactenus vetitam, reddidit, & ab omnibus orbis incolis legi juſſit. Hic annus noſter Sabbaticus, quo verè quietem agimus; & ab omni tyrannide, à tormentis ac vinculis, & à diris illis animi non minus, quam corporis, cruciatibus, divina gratia liberati, & in tuto tandem collocati ſumus. Hic noſter eſt denique, & ad nos proprie pertinens, Jubilaeus, quo magnum ac ſolidum gaudium, non lapſi de Coelo Angeli; non ovium, ut olim, paſtores; ſed pii ac religioſi, & Angelica paene virtute praediti viri; ſed hominum, ſed animarum paſtores; Chriſti gregem, ovile Chriſti cuſtodientes; non uni tantummodo populo, ſed omnibus paſſim gentibus, annuntiarunt. Et quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
388 E 46

majus eſſe gaudium potuit, quàm cùm & corporis ſimul & animi libertatem adepti, cùm viam veritatis edocti, cùm ad Coeleſtem haereditatem admiſſi, & in ſempiternum cum Chriſto gaudium ſumus introducti. Hic iſtud nempe gaudium peperit, qui, ut naſci pro nobis, ita & renaſci iterum voluit. Hic ſuam in Euangelio voluntatem manifeſtam fecit; ſuo deinde teſtamento, quod moriens nobis reliquit, quo noſtra continetur haereditas[1], obſignavit. Hic ſanguine nos ſuo redemit, ſua morte vitam aeternam, ſuis doloribus aeternum nobis gaudium acquiſivit. Per hunc delictorum omnium veniam, debitorum omnium ſolutionem; per hunc pleniſſimam libertatem, & legitimam impetravimus manumiſſionem. Per hunc in res noſtras, in majorum noſtrorum poſſeſſiones, à non juſtis poſſeſſoribus, ab iniquis dominis occupatas, miſſi, haereditatem nobis debitam crevimus, & jus in eam noſtrum recepimus. Per hunc veras divitias, & Euangelicum illum unionem, cui nullae omnino, non dicam Croeſi aut Craſſi, aut regis illius Pergameni, ſed nec Salomonis immenſae, nec totius orbis divitiae, comparandae, diu amiſſum atque deperditum, diu coeno obrutum, & illorum pedibus hominum, quibus objici non debuerat, proculca-

tum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
388 E 46

tum, poſt longam annorum intercapedinem, & poſt aliquot demum ſaecula, inventum tandem ac repertum, haud ſine magno omnium gaudio, & ſumma, non hominum tantum, ſed & Angelorum, laetitia recuperavimus. Hic Sacram Scripturam legendi, verbum Dei audiendi, voluntatem cognoſcendi, & divina Ejus oracula perſcrutandi ac ruminandi, liberrimam omnibus poteſtatem dedit. Hic viam ſalutis oſtendit; viam Coeli recluſit; ſuum ad nos Spiritum miſit; Spiritum Gratiae, Spiritum Veritatis; qui in omnem nos duceret veritatem. Quas non illi grates perſolvimus? quas non in Eum laudes congerimus? quibus non eſt honoribus cumulandus; qui è captivis liberos, è ſervis ingenuos, ex obaeratis locupletes, è pauperibus divites, è miſeris fortunatos, ex aegrotis ſanos, è debilibus integros, è mortuis vivos, & aeternae vitae participes fecit? Nunquid hic annus eſt Gratiae, annus Libertatis, annus Reſtitutionis, annus Sabbaticus, annus Jubilaeus? Gaudii denique ac laetitiae annus?

Gaudete, Chriſti diſcipuli, gaudete veri & iſto digni nomine Chriſtiani. Hic noſter eſt annus Sabbaticus, hic noſter eſt Jubilaeus. Celebremus hunc, Audd. ad quem celebrandum convenimus; celebremus hunc, celebremus;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
388 E 46

ſed more noſtro, more religioſo, & Chriſtianis hominibus non indigno. Eamus, inquam, eamus; Non, ad urbem Romam; ſed, ad verè Sanctam, ad verè aeternam illam ac perennem urbem, quam ſuis Deus manibus aedificavit: Non, ad aedem Petri, aut terrenum aliquod templum; ſed, ad ſupernam illam & Coeleſtem domum, ad vaſtum illud & immenſum templum, quod inhabitat Deus: Non, ad Auream Portam, quam debili pulſat manu Romanus Antiſtes; ſed, ad Eum, qui Inferni portas perfregit, Coeli portas aperuit; ad Eum, inquam, qui illa ipſe eſt Porta, qua itur in vitam aeternam: Non, ad Scalas Lateranenſes; ſed, ad eam Jacobi, qua in Coelum adſcenditur: Non, ad Sanctorum Imagines; ſed, ad Illum, qui Coeleſtis ſui Patris imaginem, ac gloriam, repraeſentat: Non, ad Sanctorum Reliquias, & arida quaedam oſſa; ſed, ad Chriſti carnem & ſanguinem, verum animae nutrimentum: Non, ad ullos Sanctos; ſed, ad Eum, qui eſt Sanctus Sanctorum: Non, ad homines mortuos; ſed, ad Deum vivum: Non, ad Dei Matrem; ſed, ad Filium Dei: Non, ad ullius in terris Eccleſiae Sacerdotem; ſed, ad illum in Coelo Pontificem: Non, ad urbis Romae; ſed, ad animarum noſtrarum Epiſcopum:

Non,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
388 E 46

Non, ad Chriſti Vicarium; ſed, ad Chriſtum ipſum. Hunc adeamus, obſervemus, colamus; huic ſupplicemus; hunc adoremus: coram hoc proſternamur: hujus manus & pedes, pro nobis Cruci affixos, exoſculemur: Oſculemur Filium hominis; Oſculemur Filium Dei: Oſculemur oſculo Sancto, qui Sanctus eſt Iſraëlis. Hic verus noſter Aſſertor, hic unicus noſter Redemptor, Vindex, ac Liberator: quem non Romae, aut Hieroſolymae, ſed ubique, & in omnibus locis; non in templis Petro aut Paulo, ſed Deo ac Dei Filio, conſecratis; non in terra, ſed in Coelo, in Coeleſti illa Hieroſolyma, inveniemus. Huc è terris adſcendit, hinc ſuum ad nos Spiritum miſit, hîc preces noſtras exaudit, & in veritate ac Spiritu ab omnibus terrae incolis invocari cupit. Hîc noſter ſedet Pontifex Maximus, non in Quirinali aut Vaticano, ſed in altiſſimo Coeli vertice, in ſublimi ſuo illo & excelſo throno, cingentibus illum, & circumſtipantibus, non Cardinalibus aut Epiſcopis, ſed Miniſtris Coeleſtibus, & univerſo illo Angelorum ac Sanctorum choro; unde ſua credentibus praemia, ſua dona & munera, ac potiores multo, quam Romanus Epiſcopus, Indulgentias praebet; neque vilem aliquam chartam, aut inanes in ea litteras, ſed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
388 E 46

veram peccatorum omnium remiſſionem, non promittit, ſed donat, & omnis omnino culpae ac poenae pleniſſimam nobis gratiam facit. Hujus auxilium imploremus; huic labiorum noſtrorum victimas conſecremus; ab hoc, & à nemine alio, debitorum noſtrorum veniam poſtulemus. Hic eam non denegabit; hic eam pro nobis obtinuit; hic ſuam nobis juſtitiam imputabit. Hanc nobis daturus eſt teſſeram in hora vitae extrema, qui multo tum nobis utilior futurus eſt commeatus, quam omnes Paparum omnium Bullae & Indulgentiae. Aderit nobis vivis, aderit morientibus, aderit morte defunctis, & ab Inferni ſuppliciis, non dicam à Purgatorio, ab igne illo fictitio, ſed ab illo ſemper ardenti, quem ſanguine ſuo reſtinxit, ſua nos morte, & peracto in Cruce ſupplicio liberabit. Animas noſtras aut cum Lazaro in Abrahae ſinum, aut ſecum in Paradiſum, poſt vitae hujus exitum, tranſportabit: Corpus è pulvere eriget, animae rurſum conjunget, &, poſt mundi finem, in ſuum nos Regnum, in ſuam nos Gloriam transferet: Ubi cum omnibus Sanctis, cum omnibus Angelis, verum Sabbatum, verum Jubilaeum acturi, & Deum, & Dei Agnum, laetis vocibus, nec finiendis unquam cantibus, proſequemur.

Rex

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
388 E 46

Rex ſaeculorum, cujus ſingulari clementia ad prioris ſaeculi metam pervenimus, & hoc de novo ſaeculum inchoamus, agimus Tibi gratias denuo, clemens ac miſericors Pater, Pater Jeſu Chriſti, & per illum noſter, Tibi, Tibi gratias agimus, qui nos imbecillos, caducos, mortales, ac ſine tuo auxilio illico morituros, in hoc uſque tempus incolumes conſervaſti; qui nos, ut genuiſti, melioribus multo auſpiciis regeneraſti; qui Filium tuum dilectum, unigenitum tuum Filium, in mundum miſiſti; qui per illius obedientiam reconciliari nobis iterum voluiſti; & ſempiternae nos vitae conſortes, ſempiternae felicitatis participes, reddidiſti: Tibi, Jeſu Chriſte, qui ante tempora genitus, ac Patri tuo coaevus, in tempore tamen naſci, & miſerorum hominum cauſſa homo fieri ſuſtinuiſti; qui propter nos natus, mortuus, ac ſepultus, Mortis vincula diſrupiſti, è morte ad vitam rediiſti, & tua nobis morte aeternam in Coelo vitam promeruiſti; qui Patrem nobis placaſti, iratum Judicem mitigaſti, delictorum veniam impetraſti, & in tuo nos Tecum ſolio collocaſti: Tibi, Spiritus Sancte, qui in Sanctos olim Apoſtolos deſcendiſti, & ſalutis eos ſemitam docuiſti; qui eadem nos gratia beas, iiſdem muneribus cumulas, & in eundem illis morem ſanctificas;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
388 E 46

ficas; qui nos foves ac ſuſtines, & ſpiritui noſtro teſtimonium praebes; qui futuri primitias gaudii in noſtris jam nunc animis excitas, & nos Coeli, ac bonorum Coeleſtium, in terris quodammodo cohaeredes facis: Tibi, Deus une atque unice, pro facta peccatoribus gratia, pro immortali iſto beneficio tuo gratias agimus immortales; quas in ipſo deinde Coelo peracturi Tibi erimus pleniores. Et quoniam ad finem ſaeculorum devolvimur, nec abeſſe longe videtur, aut hujus mundi, aut vitae certe noſtrae, quae, dum loquimur, effluit, decretoria illa ac fatalis hora, cùm ex hac vita in aliam, è tempore in aeternitatem tranſibimus; fac ut eam cogitemus ſemper, & ultimum illum ante oculos habeamus diem; quò à rebus terrenis, quarum brevis eſt gloria, mentem noſtram abſtrahere, & ad Te, Chriſte Jeſu, meliorum bonorum auctorem, attollere valeamus. Punctum eſt, quod praeteriit; aeternum, quod inſtat. Recordemur inſtantis temporis, & illius in primis diei, quo ante tuum tribunal citabimur, ô mortuorum ſimul ac vivorum Judex, eorum quae in vita peregimus rationem Tibi omnium reddituri. Da Te nobis propitium, ac benignis nos oculis intuere, benigne mundi Redemptor. Noſtra

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
388 E 46

ſtra certe cauſa in hunc mundum veniſti: noſta in Coelum cauſa, uti veneras, adſcendiſti; ut in Patris tui domo, in qua multa ſunt domicilia, deſtinatum nobis à Patre praeparares locum. Eum ſane in finem terras reliquiſti; hoc ore veridico promiſiſti; hîc nos Tecum eſſe voluiſti. Reſera nobis Coelum, qui veros Coeli poſſides claves, & illa nobis bona largire, quae dilectis ſibi filiis Pater ante jacta mundi fundamenta ſepoſuit. Duc nos in Cananaeam Coeleſtem, ut Coeli voluptatibus ſatiemur: duc in Paradiſum, ut deliciarum fluminibus irrigemur: duc ad Scientiae arborem, ut Deum, qualis eſt, cognoſcamus; duc ad arborem Vitae, ut in aeternum vivamus. Duc ad Sanctam illam, quae in Coelo, Urbem; in Sanctum illud & auguſtum Templum; in Sanctum illud Sanctiſſimum, quò noſter olim Pontifex Maximus, Magnae illo Expiationis die, tuum ipſe ſanguinem intuliſti; duc ad Arcam Foederis, ad Mannam illam occultam, ad verum illud Propitiatorium, quod omnibus in Te credentibus aperuiſti; ut noctes & dies in tua domo, in tuo Tibi Sanctuario ſerviamus: Duc in tuam Quietem, ut perpetuum Sabbatum; duc in tum Gaudium, ut Jubilaeum perpetuum celebremus: ut ad thronum Gratiae, ut ad thro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
388 E 46

num Gloriae, cum Patre, ad cujus dexteram conſides, cum Spiritu Sancto, qui ab utroque procedit, Coeleſtes Tibi hymnos cantemus, ſolennem Angelorum formulam ingeminemus; nomenque tuum Sanctiſſimum, cui omne genu inflectitur, honoremus, praedicemus, laudemus, per omnium ſaeculorum decurſum, ac nullo temporis ambitu circumſcriptam, ſine annis, aut ſaeculis, ſempiternitatem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
388 E 46

L. S.

COmpellandus hic mihi es denuo, amice Lector, & paucis verbis monendus, nonnulla in hac Oratione occurrere, quae apud M. Tullium Ciceronem haud facile quiſquam inveniet. Verba enim quaedam ſunt Eccleſiaſtica, quibus in re Eccleſiaſtica uti me debere exiſtimavi, quae carpent forte ſcioli noſtri, & Critici iſti plus, quàm par erat, naſuti. Studio id feci, nec aliter à quoquam fieri puto oportere. Quin nec ipſe faceret aliter M. Tullius Cicero, ſi viveret hodie, ſi Chriſtianus eſſet. Et quidnam, quid facturus ille fuerit, dubitemus, cum appareat abunde quid fecerit. Quam multa ille è Graecis deſumpſit, quae Latina fecit? Quam multa vocabula, non Latina, uſurpare non dubitavit? Quot ille vocibus, in ſuam linguam tranſlatis, jus Latii dedit, & in Romanam eas civitatem recepit? Idem M. Antonius fecit Muretus, quem ego Recentiorum omnium Ciceronem ſoleo appellare: qui vocabulis in Eccleſia uſitatis uti non erubeſcit. Aliud eſt praeterea, quod volebam, Lector. Irrepſerant Sphalmata quaedam paucula, quae tu pro tua humanitare corrigas perte velim.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
388 E 46

Pag. 7. lin. ult. pro itaquo, itaque *lege: pag.* 17, *verſus finem pro* Ponifacius', Bonifacius: *mox, pro* ſaeculo decimo, *lege* undecimo. *Reliqua minuta ſunt adeo, ut annotari non mereantur. Vale rurſum.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
388 E 46

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
388 E 46